



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 6. Vtrum hæc sit vera, Deus factus est homo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

immensus nulli creaturae est communicabilis: imò re ipsa nulla creatura potest se per totum mundum diffundere; vt colligitur ex Patribus, Ambr. lib. de Spiritu S. cap. 7. Basil. lib. de Spiritu S. ad Amphilocho. cap. 22. Cyrill. lib. 7. de Trinitate. August. lib. 3. contra Maxim. cap. 21. Fulgent. lib. ad Donatum cap. 8. Vbi docent hi Patres Spiritum sanctum esse Deum, eò quòd sit vbique. Quod argumentum nullam vim haberet, si esse vbique, foret alicui creaturae comunicatum. Secundò, Quia hæc expositio est contra vim verborum Scripturæ; alioquin enim possemus dicere Christum non esse in Eucharistia, quia non est ibi visibiliter. Neque est simile quod ipsi adferunt ex cap. 16. Ioan. v. 28. *Iterum relinquo mundum &c.* quia significat se ita relicturnum mundum, sicut venerat in mundum, & hætenus in eo fuerat: ait enim, *Exiui à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem;* vbi significat se non ita futurum in mundo sicut hætenus fuerat: quod falsum esset, si fuisset vbique; nam mansisset sicut ante fuerat. Adde, illū ita reliquisse mundū inferiorem, vt reuera non manserit ibi secundum corpus. Quòd autem per nouum mysterium ibidem constituatur, scilicet quando Sacerdos aliquis consecrat; hoc nihil officit proprietati illorum verborum.

Euerit
mysterium
Eucharistie.

12. Probatur Tertiò, Quia omnes Patres docent Christi humanitatem non esse vbique: quorū testimonia videre est apud Gregorium à Valentia, & Bellarminum de Christo lib. 3. cap. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

Probatur Quartò, Quia hæc sententia euerit mysteriū Eucharistie. Si enim Christi humanitas vbique est substantialiter præsens; non magis erit præsens in Eucharistia, quàm in pane & vino mense vulgaris; nec aliter post consecrationem, quàm ante: nec magis incipit esse intra hominem post sumptionem, quàm ante.

Probatur Quintò & postremò, Ex vi unionis hypostaticæ nullo modo sequitur hæc omnipræsentia: quòd pater à simili, est enim oculus sit vnitus substantialiter toti animæ, non tamē ideo debet esse vbique est tota anima; alioquin oculus deberet esse etiā in pede; quia ibi est tota anima. Similiter multò minùs sequitur hæc vbiquitas ex Resurrectione; nam gloria Animæ vel corporis non euerit naturam, nec eam extra naturalem suam mensuram extendit.

13. Obiectio.
nos soluitur.

Christus
implet
omnia;

Sed contrà. Obijcitur Primò, Ad Ephesios 4. v. 9. vbi dicitur de Christo. *Qui ascendit super omnes Caelos, vt adimpleret omnia:* in quò locum etiam Oecumenius ait, *Quia repleuerat omnia suā diuinitate, ascendit vt omnia etiam repleret suā carne.* Respondeo, Non agitur ibi de repletionem corporali, quasi ascenderit vt inde corporaliter per totum vniuersum se diffunderet, alioquin non posset postea descendere. Sensus igitur est; *Ascendit, vt impleteret omnia,* nempe vaticinia quæ de ipso erant, iuxta phrasim Scripturæ. Sic Luc. 24. vers. 44. *Neesse est impleri omnia.* Ita Hieron. & Chrysost. in hunc locum Pauli. Vel, *Vt impleteret omnia,* scilicet, Ecclesiam Spiritu sancto & donis celestibus: ita Ambrosius epistola 16. & Hilarius in Psalm. 56. quod est valde consentaneum verbis Apostoli præcedentibus. Vel denique *vt adimpleret omnia* loca operibus admirandis, terram, mare, ære, cælum.

Obijcitur Secundò, Christus est vbique: sed vbicumque est, ibi est homo: ergo vbique habet humanitatem. Respondeo, Christus est vbique per communicationem idiomatū ratione diuinitatis; sicut etiam est æternus: ad quod sufficit personam esse vbique secundum naturam diuinam. Quod autem subsumitur, falsum est, nisi intelligatur de Christo formaliter; id est: vbicumque Christus est, Christus ibi est homo. Et si enim is qui est Christus, sit vbique; tamen non vbique habet rationem Christi; ac proinde non est necesse vt vbique habeat naturam humanam. Similiter falsum est, Christus seu Filius Dei vbique est homo: nam esse hominem, non conuenit ei vbique; sed solum certo loco. Sicut falsum est, Anima vbique est vita oculi.

Quomodo
sit vbique.

ARTICVLVS VI.

Vtrum hac sit vera: Deus factus est homo?

14. Respondetur; Hæc est vera, *Deus factus est homo.* Imò est fide tenenda: vt patet Ioan. 1. & ex omnibus Symbolis. Ratio est; Quia Deus antea extitit nõ homo, deinde extitit homo, idque per aliquam operationem effectum est: ergo Deus factus est homo. Neque hinc sequitur Deū mutari, vel esse mutatum; quia licet Deus sit subiectum istius propositionis, non tamen fuit subiectū illius mutationis, per quam factus est homo; sed ipsa humanitas subiectū fuit; vt patet ex dictis q. 2. a. 7. Adde; Hanc mutationem humanitatis, quæ Deus factus est homo, ne per communicationem quidē idiomatum Deo tribui possit. Ratio est; Quia hæc communicatio supponit vnionem naturæ humanæ cum persona diuina: at ista mutatio non supponit vnionem, sed est via ad illam: itaque per illam mutationem Deus non potest dici mutatus.

Petes, An propriè Deus dicatur factus homo? Respondeo, Omnino propriè dici; sicut propriè dicitur esse homo. Quia hac oratione nihil aliud significatur, quàm Deum acquisiuisse esse humanum, quod antea non habebat, idque per veram aliquam effectiōem, siue per hanc inducta sit aliqua mutatio in Deo, siue non: hoc enim ex vi orationis non determinatur.

Deus dicitur
proprie factus
homo.

Dices, Si Deus factus est homo: ergo factus est hic homo; atqui hic homo est suppositum. Respondeo breuiter, Concedo factus est hic homo, ac proinde factus est suppositū naturæ humanæ, non tamen suppositum absolute; quia antea erat.

Deus factus est
suppositū
naturæ
humanae.

ARTICVLVS VII.

Vtrum hac sit vera: Homo factus est Deus?

15. Respondetur; Hæc propositio, *Homo factus est Deus,* propriè non est vera. Ratio est; Quia ex vi propositionis, subiectū accipitur pro subistente in natura humana: atqui hoc non est factū Deus; sed semper fuit Deus. Quare hæc; *Christus factus est Deus,* est omnino hæretica. Deinde; Quia participium *Factus,* cadit in attributum; cui nullo modo conuenit fieri.

Homo improprie dicitur factus Deus.